

NUMMUS TRIUMPHALIS

JOANNIS A FIGEROA, PRODV-
cis Mediolanensis; ob Gallos ex finibus Insubriæ
profligatos: cusus: Anno Chri-
sti 1558.



IN finibus Insubrum Joannes à Figueroa, Produx
Mediolanensis, auditâ clade Gallicâ (de qua modo
verba facta) cùm Henrico Regi Galliarum parum
feliciter res succederent, adversus Philippum Re-
gem Hispaniarum, & ipse collectis conscriptisque
veteribus copiis, & nonnullis recentibus, adventu
repentino castella quædam recuperat in agro Der-
tonenî, quæ capta fuerant à Gallis, quorumque
præsidia ferro, prædationibus, incendiis paulò priùs
devastata fuerant. Castris itaque positis ad Ponzonem, quod est oppidi
nomen, illo brevipotitur: eoque factum, ut Dertonensis, Alexandrinus-
que ager, & proxima omnia tuta à rapinis & molestijs Gallorum reddita
fuerint. Philippus Rex, post pacem à Pontifice compositam, recuperataque
castella in Insubria, Figueroam decernit assiduum Oratorem apud Ponti-
ficem, qui regio nomine negotiaretur: subrogato in Mediolanensem præ-
fecturam Consaluo Ferrando Sueslano regulo. Figueroa propius ad urbem
Romam profecto, significatur, ejus adventum molestissimum accidere
Pontifici: Quamobrem ad dedecus regium, & incommoda ipsius devitan-
da, cavendam esse senis iracundi indignationem. Mutato itaque consilio
Cajetam contendit, donec indignatio Pontificia defervesceret. Offen-
sionis causa fuit, quod in præfectura Mediolanensi passus fuerat supel-
lectilem quandam opulentam Reidetti Ludovici, viri Pontifici gratissimi,
diripi: qui Mediolanum ad ducendam vxorem, cum quibusdam Gallis
Pontifici familiaribus, accesserat. Figueroa tantâ indignatione conster-
natus in gravissimum morbum incidit, veruntamen multorum purpura-
torū patrum precibus impetratur postremum, ut in legationē sit admissus,